

Ad pag. 1,1-3,3

- 1 1,1-18 Dolendum quod in hac § non clarum est, ad quid praecise probandum singuli textus libri Gen. adhibeantur. Est tamen omnino receptum: 1°- Gen 1,27 esse de homine (viro et muliere) ut imagine Dei, 2°- Gen 1,28 esse de fine sexus et matrimonii generativo, 3°- Gen 2,18/2,24 esse de fine personali-unitivo.
- Ceterum, in libro Gen. bonum unionis personalis non exhibetur unice in functione ad finem generativum, ut aliquomodo in schemate (1,13ss) insinuatur.
- 2 1,19-2,3 Nimis evidens est hanc § supponere duos fontes (schemata ^{exhausta}) diversos: unum qui considerat castitatem quae subiicit sensum spiritui (1,24-26.; 2,2-3), alium qui tuetur ordinem in usu facultatis sexualis servandum (1,26-2,1). Qui fontes non sufficienter uniuntur. - Res (inde a lin. 23) modo sequenti ordinari possit: In usu facultatis sexualis ordo servari potest et debet; maxime, non est ^{non est} usus ordinatus extra matrimonium. In ordine autem servando maxime castitas inservit, quae est dominatus....., quaeque in matrimonio relationem sexuum evehit...
- 3 2,4-17 Ad aspectum unilateralem evitandum, nonne inter verba "tamen" et "vim" (lin.6) inseri possint verba "vocationem intimi amoris mutui et", vel similia?
- 4 2,18-23 Tota § et turbat ordinem totius schematis, et nulla speciali ratione insinuatur ut in hoc Concilio proponatur.
- 5 2,24-3,3 Ad excludendam exclusivitatem dictorem, inter verba "Sponsae" et "praeannuntiandi" inserem verba "modo speciali", vel similia.

F

Caput III

De finibus matrimonii

Ad pag. 3, 5-10: Cum aliquid esse possit "primarium" sub diversis rationibus, loco "finem specificum ac primarium" melius diceretur

1° 6 ["finem specificum ideoque primarium"; haec ultima forma sensum "primarii" iam aliquo modo determinat per illud "specificum".

Quia vero aliquid sub uno aspectu potest esse "primarium" (et etiam "specificum"), sub alio vero "secundarium", quia consequenter etiam "communitas mutui amoris" sub quodam respectu dici potest "primarium" (et etiam "specificum"), tota phrasis cautius sic formulari posse videtur: "Ex dictis perspicitur propagationem humani generis esse instituti matrimonialis, sicut ipsius sexuum differentiae, finem fundamentalem ac specificum (ideoque primarium)." Hoc modo mere assertive aliquid dicitur de propagatione ut fine, quin excludantur ea, quae de "communitate mutui amoris" dici possint;

2° [ulterius verba "ideoque primarium" omitti possunt, ne in aula Conciliaria forsitan oboriatur discussio de determinato sensu huius primatus, quae discussio innumerabiles quaestiones de anthropologia et biologia secumferre potest!

3° [

8 Ad l. 10-12: Displicet valde quod per verba "Oportet...constituant..." non clare indicatur hunc finem matrimonii personalem esse finem operis.

Ad l. 5-12: Displicet omnino quod non indicatur interdependentia inter fines generativum et personalem. Hoc ~~mat~~ ^{mat}ri potest, v.g. si lin. 5 inciperet de fine personali (quod etiam sensui hodierno fidelium magis responderet), ut dein addatur finis generativus. V.g.: "Ex dictis perspicitur institutum matrimoniale, sicut ipsam sexuum differentiam, ordinari ad hoc [ecco il finis operis!], ut coniuges

4° [

veram constituent comunitatem...[lin. 10/11] ... iuvantur. Communitas vero coniugalis ut talis inservit modo vere humano propagationi humani generis, quae ex dictis perspicitur esse eiusdem institui matrimonialis, et sexuum differentiae, finem fundamentalem ac specificum (ideoque primum). Propagatio autem generis humani non animalis... [lin. 7-10]...educetur."

7 Ad 1. 8/9: Displicet vox "inconscie ...desideretur", forsitan melius: "non quasi sine responsabili cogitatione sed..."

Nota: Valde laudandus est recessus huius schematis a doctrina prius proposita trium finium matrimonialium, ad mentem CIC. Pro eventualibus discussionibus in Commissionibus (et eventualiter in aula Conciliari) sciendum est: Tres fines (proles, mutuum obsequium, remedium concupiscentiae), propositi ut aliquod ternarium, non sunt nisi materialis unio eorum, quae saeculis elapsis, maxime a S. Thoma, ut fines proponebantur. Aquinas vero nec semel hos tres fines simul ponit! "Mutuum adiutorium" (= collaboratio domestica!), quod habet ab Aristotele, ei est "secundarium", quia nihil commune habet cum "vita sexuali (et procreativa)". "Remedium concupiscentiae", quod habet ex theologia christiana, non est proprie et originaliter finis, sed potius effectus in homine lapso, *ideoque aliquod secundarium.*

1° Finis personalis (donationis mutuae, etc) aperte habetur in doctrina catholica, et quidem non solum apud theologos, sed etiam in magisterio pontificio (bis in allocutione ad obstetrices Italiae). Qui finis ibi apparet ut finis operis.

2° Alii fines (remedium concupiscentiae, mutuum obsequium, et alii) non excluduntur; atque sufficienter agniti sunt in doctrina catholica, etiam in magisterio pontificio. - Sed nunc temporis urget quaestio de fine personali atque de eius relatione ad finem generativum; quare de hac quaestione Concilium agere debet.

3° Timor processuum matrimonialium ob defectum amoris mutui (utpote finis operis) non est fundatus. Sicut quoad finem generativum sufficit et requiritur, ut sibi dederint ius actus intime expressivos talis amoris et donationis (i.e. ad actus qui simul sunt per generativos), - vel in alia terminologia: ius ad actus per se aptos ad amorem (donationem) intime exprimendum.

De onanismo coniugali

10 Ad pag. 3, 15-17 (respectu habito ad pg. 4, 16-29 [numerus filiorum]): Tangitur hic brevi phrasi problema, quod periculum alicuius verae crisis fidelium (etiam sacerdotum) relate ad auctoritatem ecclesiasticam secumfert. Quare haec brevis phrasis ut mihi videtur sufficere non potest. Ni fallor: problema a Concilio tangi debet. Et si tangitur, dubiis quae sunt responsum dari dabet. Variarum categoriarum personarum castitatis ^{con}coniugalis ^{ma}violantium distingui debent videntur. Praeoccupatio Patrum et compassio ostendendae sunt. Unde, ipsa Commissio recogitare debere videtur:

a) utrum intendat dicere agi de obligatione gravi (notandum de gravitate obiectiva hodie discussionem theologorum haberi, etiam in scriptis), et utrum hoc verbis "Ne gravissimis quidem rationibus..." exprimatur (ni fallor: non exprimitur);

b) utrum velit retinere formulam ex Cast. conn. desumptam, "propria industria", quae praecise non potuit impedire dubia de characterem "onanistico" actionum, quibus ante vel post actum impeditur naturalis tendentia (vel effectus) actus coniugalis (positi in sua naturali forma, i.e. non impedita eius vi propria); an utrum Commissio intendat has quaestiones omnino (non obstantibus verbis Pontificum) discussas (nunc maxime circa pillulam anovulatoriam ex fine anticonceptionali sumendam) "apertas" relinquere;

c) utrum sufficiat claram difficilis situationis cognitionem, vera praeoccupationem, atque compassionem Patrum Concilii exprimere solummodo in § de numero prolis (pg. 4, 16-29);

d) utrum non conveniat inducere Patres Concilii ad distinguendam

culpam eorum qui ex responsabili decisione et eorum qui ex irratio-
nabili commodo prolem evitantes in "onanismum" cadunt; item (in
utroque casu) inter eos qui ex habituali prava intentione et eos
qui ex actuali debilitate cadunt.

PATRIMONIO UC

9 Nota ad lin. 14: Possintne inter verba "naturalem" et "condignae"
inseri verba "intimae suae donationi et"?

F

Caput III

Ad pag. 3,18-5,16

11 3,21ss Attendatur hunc textum substantialiter esse desumptum ex alio schemate praeparato, quod amorem-caritatem non intrare facit inter fines matrimonii, sed eum considerat mere ut aspectum internum (personalem, subiectivum) instituti matrimonii cum 3 finibus (proles, mut. obs., remed. concup.). ^{Quare} Melius forsitan esset alio modo inducere hanc §, v.g.: "Super autem omnia haec Sancta Synodus inculcare intendit caritatem christianam esse, quae prae ^{1/8} onibus aliis iuribus, officiis et virtutibus vitae conjugalis obtinet principatum, omnes Dei intentiones implens et complens"

12 4,2 Ad evitandas difficultates contra caelibatum, loco "homini" dicerem "hominibus".

